



Disputatio juridica inauguralis de damno injuria dato

<https://hdl.handle.net/1874/340709>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DAMNO INJURIA DATO;

QVAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rektoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J.U.D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rite, ac legitimè consequendis,

Eruditorum disquisitioni subjicit.

WILHELMUS WINKELMAN, Mediob-Zeland.

Ad diem 20. Decembris horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academæ
Typographi, clc lcc Lxxxvii.

*Nobilissimis generosissimis, ac stre-
nuissimis, VIRIS*

**D. J A C O B O
WINKELMAN,**
*Tribuno militum patri meo,
filiali debito, honore, ac amo-
re prosequendo.*

**D. S I M O N I
à ROEBERGHE,**
*Centurioni militum affini meo
charissimo, ac fraterno amore
prosequendo.*

*Hanc disp. Jurid. inaug. in debitæ observan-
tiæ ac honoris symbolum offero & in-
scribo.*

WILHELMUS WINKELMAN,

A U C T.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DAMNO INJURIA DATO.

THEISIS I.



Ex Aquilia nihil aliud est , quam plebi-
scitum cuius auctor est Gallus Aquilius.
l. i. §. 1. ff. b. t. §. 15. inst. b. t. qui Tribu-
nus Plebis fuit cum Altejo Capitone, An-
no ab Urbe condita 698. quo vindica-
tur damnum non jure rebus alienis illa-
tum *l. i. l. 5. §. 1. & passim de Leg. Aquilia.*
damnum ab ademptione & quasi demiu-
nitione patrimonii dictum est *l. 3. ff. de*
dam. infest. ratio autem quare hic dicatur Lex , est quia inter Le-
gem & plebiscitum species tantum interest constituendi: potestas
autem eadem est *§. 4. inst. de. jure. N. g. & C. l. 2. §. 8. ff. de orig. f.*

I I.

Tria olim fuere ejus capita *l. 2. pr. l. 27. §. 4. & 5. ff. b. t.* cuius
primo quidem capite ita cautum est; *Qui servum servamve alien-*
A 2 num

4 DISPUTATIO JURIDICA

num alienam ve, quadrupedem vel pecudem, *injuria occiderit*, quanti id in eo Anno plurimi fuit, tantum as dare domino damnas esto. l.2.pr. ff. b.t. pr. inst. eod. hominem alienum, cum dicimus servum intelligimus, non liberum. Nec tamen invito legislatore, si liberi nostri occiduntur, aut vulnerentur, aut si nobis metipsis vulnera infligantur, actio Leg. Aquilæ, scilicet utilis, non directa dabitur l. 13. pr. d. b. t. tametsi enim liberum corpus nullam recipiat estimationem, ac per consequens nec patrimonium deminui videatur, cum liber occisus aut vulneratus est, tamen respectu operarum, quibus caruit aut cariturus est, item propter impendia in curationem facta, patrimonium recte deminutum dicemus l. 5. in fin. l. 7. pr. l. 27. §. 17. ff. ad leg. aquil. l. ult. ff. de his qui dejet. vel effud. l. 52. §. socium. ff. pro socio. l. 3. si quadrup. paup. fecis. dicer.

I I I.

Servis ex æquat lex quadrupedes, quæ pecudum numero sunt & gregatim, pascuntur, veluti oves, boves, capræ, equi, muli, asini, &c. canis inter pecudes non est, quamvis domesticum sit animal, & multo minus fere bestiæ. l. 2. in fin. d. b. t. §. 1. inst. b. t. quia hæc animantia per greges non habentur neque pascuntur. d. l. 2. b. t. §. 1. inst. b. t. mixtæ quadrupedes dicuntur, quæ jumentorum operam præstant, ut cameli & elephanti & ideo primo capite continentur, quamvis eorum natura fera sit. l. 2. in fin. d. b. t.

I V.

Merito adjicitur *injuria*: non enim sufficit occisum esse, sed oportet injuria id esse factum §. 3. inst. b. t. injuria autem hic significat damnum culpa datum, etiam ab eo, qui nocere noluit. l. 5. §. 1. d. b. t. quales casus recensentur, in §. 4. & seqq. inst. b. t. hinc in leg. Aquil. etiam culpa levissima sufficit. l. 44. d. b. t. modo quis secundum naturam objecti non excusat a levissima culpa, uti bene monet Dn. Struv. *Synagm. Jur. Civil. exerc.* 14. th. 20. Culpa, consistit in his quatuor. 1. In atrocitate, ut si magister

ster nimis severe castigaverit discipulum. l. 5. §. ult. l. 6. b.t. 2. In imperitia, ut si medicus servum imperite secuerit. l. 7. §. ult. d. b.t. §. 7. inst. b.t. 3. In negligentia, ut qui bene secuerit & dereliquerit curationem. l. 8. pr. d. b.t. §. 6. inst. eod. 4. In infirmitate, ut mulio qui propter infirmitatem, mularum imperum sustinere non potuerit. l. 8. §. 1. §. 8. inst. b.t. cum affectare quisque non debat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram. d. l. 8 §. 1. in fin. vid. Ant. Matth. ad leg. 47. tit. 3. c. l. n. 3.

V.

Quod si nec dolus nec culpa intervenerit, non intelligitur damnum injuria datum. §. 3. inst. b.t. veluti servum tuum latronem insidiantem mihi cum aliter periculum effugere non possem, occidi: nec civili quidem actione tibi sum condemnandus, tantum abest, ut poena aliqua gravior extra ordinem sit irroganda: adversus periculum enim omnes leges omniaque jura permittunt se defendere, frustraque expectes legum auxilium, cum expectare volenti ante injusta poena sit luenda, quam justa repetenda. l. 4. ff. b.t. l. 3. de just. & jur. l. 45. §. qui cum aliter ff. b.t. l. 1. §. 27. l. 3. § 9. ff. de vi & vi armat. sane si moderamen inculpatæ tutelæ excessero, ut cum possem intentantem periculum apprehendere, occidere malui, injuria fecisse videor. l. 5. ff. b.t. §. 2. inst. b.t. quia non ultiō permitta sed defensio. vid. trut. disp. 18. th. 7. vol. 1. igitur nemini licet ob calumnias alterum interficere: verum si cui vis fiat ad pudicitiam tentandam, & se aliter defendere non possit, justissima est vindicta. l. 1. §. 4. ff. ad leg. corn. desicar. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. arg. l. 9. ff. de manum. vind. junct. l. 3. ff. de just. & jur. cuncta exequi, quæ ad materiam defensionis pertinent non est hujus loci.

V I.

Si quis servum alienum occiderit, tametsi occisus æquiparetur

A 3

qua-

6 DISPUTATIO JURIDICA

quadrupedi. l. 2. ff. h. t. atque reliquis rebus, quæ in censu nostro ac patrimonio sunt, nec abnuat id divina lex. Exod. 21. v. 21. tamen pena capitalis locum habet; quia natura liberis & servis communis est. l. 1. §. 2. l. II. §. 1. & 2. ff. ad leg. corn. de siccari. Si quis servum lethaliter vulneraverit, post aliud eundem occidit, an uterque tenetur de occiso. Julianus affirmit l. 51. d. b. t. Celsus contra respondit, priorem de vulnerato, posteriorem de occiso teneri. l. 11. §. 3. d. b. t. agnoscit dissidium Cujac. in explic. hujus legis t. 1. p. 2305. nulla pugna: distinguendum cum glossa. in dict. l. 51. cost. ibid. bus. in dict. l. 11. n. 12. & seqq. vid. bach. disp. 18. th. 9. Wiffenb. ad leg. Aquil. th. 14.

V I I.

Homine in rixa occiso, si ignoretur, percussor an omnes capite plectendi: neg: in dubio satius est nocentem absolvere & dimittere, quam innocentem condemnare l. 5. pr. versic. satius & l. penult. ff. de paen. præterea in accusationibus criminum requiruntur probationes luce meridiana clariores. l. ult. c. de prob. l. 16. c. de paen. incertum etiam est, habuerintne omnes occidendi animum, cum in rixa pluraque casu, pauca consilio gerantur. quare extra ordinem mitius sunt plectendi, non gladio feriendi. sand. 5. de cisi. tit. 9. defin. 5. gail. 2. obs. 109. num. 1. obf. l. 11. §. 2. ad leg. Aquil. l. ult. ff. ad leg. corn. de siccari. l. 6. c. ad leg. jul. de vi.

V I I I.

Quod si aliquis servum dolo occiderit, liberum erit domino iudicio publico Legis Corneliae agere adversus obnoxium §. 11. inst. h. t. quia per actionem. leg. Aquil. non. fit. præjudicium Leg. Corn. Lex enim Aquilia principaliter damnum persequitur lex Cornelia publicam vindictam l. 23. §. 6 doloff. ad leg. aquil. l. 3. c. b. t. l. 7. §. 1. & seqq. ff. de injur. l. nunc. c. quand. civil. act. crim. præjud. nec contradicit paulus. in leg. 4. ff. de publ. judic. gloss. in dict. l. 23. cujac. 20. obs. 25. baro ad §. 11. liberum est inst. h. t.

IX. Ait

I X.

Ait lex quanti in eo anno plurimi fuit. *l. 21. d. b.t. §. 9.* &
16. inst. b.t. quæ clausula æstimationem habet damni, quod
 datum est. *d.l. 21. ff. b.t.* nec solum veri damni dati, sed etiam
 aliquando longe majoris, ut si quis hominem, qui hodie man-
 cus, aut claudus debilitatus sit, occiderit, qui in eo integer
 aut pretiosus fuerit, non tanti tenetur, quanti hodie est, sed
 quanti in eo Anno plurimi fuerit, repetitis ex die vulneris
 trecentis sexaginta quinque diebus, deinde annum numerabimus,
 secundum Julianum ex quo vulneratus est: licet Celsus con-
 tra scribat. *l. 21 ff. b.t.* & ideo si pretioso pictori pollex fue-
 rit præcisus, & intra annum, quo præcideretur, fuerit occisus,
 posse dominum Aquilia agere, pretioque eo æstimandum, quan-
 ti fuit prius, quam artem cum pollice amisisset. *d.l. 21. l. 23.*
§. 3. ff. b.t. si servus hæres ab aliquo institutus, antequam adire
 jussus sit, accidatur, non solum occisi fiet æstimatio, sed
 etiam hæreditatis. Item si ex quadrigis equorum unus inter-
 ficiatur, supra pretium interficti corporis, id quoque compu-
 tabitur, quanti deprecati sint qui supersunt. In summa omne
 quod ullo modo interest æstimatur. *l. 21. 22. 23. §. 6. ff. b.t. §.*
10. inst. b.t. quo verbo non modo comprehenditur damnum
 datum, sed & quod consequi potuimus, aut erogare cogi-
 mur, quod eu communi æstimatione, non pro singulorum
 affectione taxatur. *l. 33. d. b.t. l. 63. ubi bart. ad leg. falcid.* nec re-
 clamant J&iota in *l. 35. de minorib. l. 38. de rei. vind. l. 45. d. mandat.*
l. 7. ff. de serv. export. schneid. ad pr. inst. de leg. aquil. n. 11.

X.

Secundum caput hujus legis in desuetudinem abiit, &
 quid eo cautum fuerit ignoratur. *l. 27. §. 4. d. b.t. §. 12. inst. eod.*
 adeoque est mera & nuda conjectura, si cum Cujacio caput secun-
 dum referatur ad interceptam utilitatem, vel cum Heigio *ad §.*
11. inst.

8 DISPUTATIO JURIDICA

II. *inst. b. t.* ad damnum per servitudes non rite exercitas datum vid. *Zoef. hic num. 9.* hoc tamen certum est, secundum caput æque ad damni vindicationem pertinuisse, cum Lex Aquilia propter damnum factum lata sit. *l. i. d. b. t.*

XI.

Tertio autem capite ait eadem Lex Aquilia. *Caterarum rerum, præter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum faxit, quod usserit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum es domino dare damna est. l. 27. & seqq. ff. b. t. §. 13. 14. inst. b. t.* Species infinitæ sunt, sed nos eas perscrutabimur, quæ aliquid difficultatis habent.

XII.

Hoc capitulo quanti res fuerit triginta diebus proximis, tantilis æstimator. *l. 27. si servus §. 5. & 15. inst. b. t.* qui excessus præsentis æstimationis hic pro pœna est, quæ levior in hoc capite, quam in primo, tanquam in delicto leviore. Si quis igitur non occiderit hominem vel pecudem, sed usserit, fregerit, ruperit, sine dubio ex his verbis legis agendum erit. Proinde si facem servo meo objeceris, & cum adusseris, teneberis mihi. *d. l. si servus §. 1. ff. b. t.* Item si quis mulum meum plus justo oneraverit, & aliquid membris ruperit. *d. l. 27. § 23.* Sed & si arbustum meum vel villam meam incenderis *l. 27. §. 7.* aut sylvam cæduam immature cecideris. *d. l. si servus §. 26. l. 25. §. 5. ff. locat.*

XIII.

Chirographum meum corrupisti, quo continebatur obligatio pecunie sub conditione debitæ: an Lege Aquilia condemnari potes antequam conditio extiterit? potest *l. 40. d. b. t.* nec adversatur, quod judicium accipi antequam debeatetur non possit: *l. 35. d. de judic. vid. gloss. in d. l. 40. coft. ibid. & in d. l. 35. pac. cent. 3. antin. 29.*

XIV. Si

XIV.

Si arcendi incendii causa ædes vicini interciderim an teneor ei
Lege Aquilia? non teneor sive pervenerit jam incendium ad me,
sive necdum pervenerit. l. 49. §. 1. ad leg. aquil. l. 3. §. pen. ff. de
incend. ruin. nauf. nec adversatur l. si alius 7. §. 4. d. quod vi aut clam.
gloss. in d. l. 49. pac. cen. 8. atin. 47.

XV.

Dissipatis incendii metu æibus, restaurari eas impensis vici-
niæ plerique jubent. arg. l. 1. l. 2. ad leg. Rhod. de jact. sed viden-
dum ne verior sit contraria doctorum opinio. arg. l. 7. §. 4. ff.
quod vi aut clam. l. 3. §. 7. ff. de incend. sane argumento legis Rho-
diae communis sententia defendi nequit. conf. tuld. ad t. c. de leg.
aquil. n. 3.

XVI.

Navis tua fune rupta, vel cum à nullo regeretur, incurrit in
scapham meam, an teneris mihi de damno? negat Ulpianus in
l. 29. §. 2. in fin. junct. §. 4. d. b. t. vid. bach. vol. 1. ad trutl. disp. 18.
th. 5. hic faber. s. conject. 17. contendit lectionem mendosam,
demtaque negatione legit d. l. 29. §. 2. sed non recte, quia libe-
rorum authoritas reclamat, & nulla necessitas emendationis ex-
primit. vid. Cujac. 25. obs. 10. quanquam multorum populorum le-
gibus, (ut & Hollandorum) damnum tale dividi solet, ob cul-
pæ probandæ difficultatem. grat. 2. de jur. bell. 17. §. 21.

XVII.

Tabernarius in semita, noctu, supra lapidem lucernam posue-
rat: eam præteriens sustulit, tabernarius fugientem insecurus,
dum lucernam eripere vult, facta rixa oculum ei eruit, damni

B injuria

X D I S P U T A T I O J U R I D I C A

injuriæ nomine tenetur *l. 52. §. 1. d. b. t.* non male ex hoc responsō colligimus, solam, rerum defensionem, ad excusationem cædis vel vulneris non sufficere. confer. *l. 3. d. de just. & jur. l. 4. §. 1. l. 5. pr. l. 45. §. pen. d. b. t. l. 9. ff. ad leg. corn. de fiscar. cost. add. l. 45. ff. b. t. diff. jas. in d. l. 3. n. 23. farin. quest. 125. n. 168. & seqq.*

X V I I I.

Anthiam pīscem habeam, quo duce & illice utebar ad magnas capturas : is à te exossatus est, hic etiam prædæ interceptæ habetur ratio. arg. *l. 33. infin. l. 21. & seqq. §. 10. inst. cod. opp. l. 29. §. item labeo 3. ff. h. t. l. 21. §. 3. ff. de act. empt. l. ult. ff. de peric. & comm. rei. vend. l. 71. §. 1. ff. de furtis.* respondebo in arena.

X I X.

Si familia alicujus damnum injuria dederit, utrum pro numero servorum sæpius æstimatio præstanta, an sufficit tantum præstitisse, quantum unius nomine si damnum dedisset præstaretur? posterius verissimum esse patet ex *l. 32. d. b. t. junct. l. 1. §. 2. d. si famili. furt. feciss. dict. nec mutat. l. 9. ff. de jurisd. l. 11. §. 2. 4. ff. h. t. pac. 1. antin. 56. hotom. illust. quest. 33.*

X X.

Actio Legis Aquiliæ, est personalis, partim rei, partim poenæ persecutoria, quæ datur ei, cui damnum injuria datum est, adversus eum, qui damnum dedit, ut præstet, quanti res fuit plurimi intra annum ex primo capite *l. 2. d. b. t. & pr. inst. b. t. intra 30. dies ex 3. capite. l. 27. §. 5. §. 14. inst. ad leg. aquil.* quod sit partim rei, partim poenæ persecutoria apparent, ex *§. 19. inst. de action. non obſt. §. 9. inst. b. t. & l. 23. §. 8. ff. b. t. l. III. ff. de R. f.* datur contra damnum dantem, non vero hæredem. *l. 23. §. 8. ff. b. t. §. 9. inst. b. t.* cum sit ex maleficio poenalis, respectu rei

rei conventi ; nisi forte ex ipso hæres factus sit locupletior, quia non est æquum, alieno scelere ditari hæredem *l. unic. c. de delict. defunct. l. 23. §. 8. ff. b. t.* aut lis cum defuncto fuerit contestata, quia per confessationem quasi per novationem obligatio ex delicto, in eam quæ est ex quasi contractu transfunditur, quæ ligat hæredem. *§. 1. inst. de perp. & temp. act. l. 26. & l. 33. ff. de oblig. & act. l. 3. §. 11. ff. de pecul. l. 8. §. 1. in fin. ff. de fidejussionibus.*

X X I.

Hæc actio dividitur, in directam, utilem, & in factum prætoriam, directa dicitur quæ sponte, nullo adminiculo extraneo adhibito, a lege proficiscitur : veluti quando quis corpore suo corpori damnum fecit, occidendo servum, vel propriis manibus eundem præcipitando, remve aliam frangendo, urendo, rumpendo *l. 50. ff. b. t. l. 1. 2. 3. c. b. t. §. ult. inst. b. t.* utilis actio est, quæ non æque ex verbis, sed ex sententia & interpretatione legis deducitur, cum quis corpori sed non suo corpore nocuit, quod fit includendo alienum servum, vel pecudem ut fame pereant. *l. 5. c. b. t.* aut si quis jumentum ita vehementer egerit, ut rumperetur; aut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur *§. 16. inst. b. t.* utilis etiam actio datur bonæ fidei possessori, usufructuario, usuario, non commodatario. *l. 11. §. 8. 9. 10. d. b. t.* Actio in factum prætoria, est quæ longius à verbis legis recedit & remotori consequentia inde deducitur, quando neque corpus lædit, neque corpus læsum est, ut si quis fumo facto apes fugaverit *l. 49. ff. b. t.* ut si quis servum vinculis compeditum solverit, ut fugeret. *§. fin. inst. b. t. l. 9. §. 2. l. 29. §. pen. d. b. t. l. 3. §. 1. l. 14. §. 2. d. de præscr. verb.* actiones utiles, & actiones in factum pas- sim confunduntur in hac Lege Aquilia omnis enim actio utilis dici potest in factum, & retro omnis actio in factum potest vocari utilis, ut in *leg. 7. §. 6. l. 9. §. 2. & l. 29. §. pen. & §. 17. inst. b. t.*

12 DISPUTATIO JURIDICA

XXII.

Hæc actio adversus confitentem est in simplum, in duplum vero adversus temere inficiantem & negantem se damnum dedisse. *I. 2. §. 1. l. 23. §. 10. ff. b. t. & l. 4. C. eod.* novum siquidem non est in jure, inficiationem pœnam mereri, *l. 1. §. hac autem. 4. d. depositi,* vel beneficium jure concessum adimere *ut in l. 10. §. 1. ff. de fidejussoribus.* beneficium divisionis, fidejussoribus de mendacio convictis denegatur. Cum actione ex Lege Aquilia concurrere potest actio depositi, commodati &c. quibus si prius actum sit, tollitur hæc actio, quantum ad rem, non quantum ad pœnam. *l. 7. §. 1. ff. commod. non obſt. l. 34. §. 2. in fin. ff. de oblig. & alt.*

COROLLARIA.

I.

Datur procurator cum libera & sine libera administratione.

II.

Libellus post litem contestatam corrigi potest.

III.

Filius m̄ failias de adventitiis plenis testari nequit.

IV.

Jus accrescendi habet locum in omni coniunctione.

F I N I S.